

Neq; Mose pœnam inflictam pro incredulitate, ne scilicet ingrederetur terram, ad quam populum ducebat, ullis precibus deprecari poterat.

Neq; David mortem filij nati ex adulterio, neque comminatam plebis cladem ex pestilentia.

Ezechias etsi post comminatam mortem impetrat inducias quindecim annorum propter promissionem factam Dauidi, quòd Christus ex semine suo esset nasciturus. (Nam Ezechias in sua deprecatione queritur, se rari ad mortem non relicta posteritate) tamen pœnas comminatas pro ostentatione, & quòd thesauros monstrasset nuncijs Regis Babylonis deprecari non uoluit: quia non habebat promissionem contrariam, sed tantum postulat pacem in uita sua.

Vera pœnitentia in Achab Rege induto sacco, & in eo iacenti, ieiunanti, & incedenti nudis pedibus non potuit auertere comminatas pœnas, pro homicidio Naboth, & cultura idolorum, etiamsi earum dilationem impetrauit.

Ad hunc modum etsi Niniuitis pro tempore parcitum est, cum agerent pœnitentiam in cinere & cilicio: tamen iuxta uaticinium Ionæ tandem perierunt, sicut Thobiæ ultimo dicitur. Quamobrem nunc ô fili excedas Niniue: Nam euenient omnino quæ prædixit Ionas Propheta. Et uideo fore, ut interitum auferat ei sua iniquitas. Audiuit enim priusquam moreretur interitum Niniues, quæ ab Nabuchad=

buchad=